AD TESTAMENTVM D. IOANNIS BRENTII, NVPER CONtra Zuinglianos publicatũ, RESPONSIO breuis, necessaria, & modesta, à MINISTRIS ECCLESIAE TIGVRINAE vniuersis fidelibus ad iudicandum proposita.

S VII 6 2014

PSALMO 119.

Obueniant mihi misericordiæ tuæ Iehoua: & salus tua secundum eloquium tuum: & respondebo probris afficienti me, verbum: quod spero in verbo tuo. Et ne eripias de ore meo verbum veritatis vsquequaq;: quia iudicia tua expecto.

TIGVRI

EXCVDEBAT CHRI. FRO. SCHOVERVS. M.D.LXXI.

D. IOANNIS BRENTII VERBA EX TESTAMENTO IPSIVS DESCRIPTA, QUIBUS HOC LIBELLO RESPONDETUR.

PORRO *singulariter ex intimo corde, expreſſe & nominatim reijcio & condemno, falſam & damnatã Zuinglianorum doctrinam, qui contra ſacram ſcripturam, contra ſenſum veræ & veteris eccleſiæ, & contra Auguſtanam confeſſionem docent atq; ſcribunt, & aſſerere audent, verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, non eſſe vere & eſſentialiter præſens in Cœna Domini, quando illa ex ipſius inſtituto celebratur, neque illic cum pane & vino cunctis ore ſumentibus tam dignis quàm indignis diſtribui.*

Grauem verò hunc & intolerabilem errorem falſa interpretatione locorum ſacræ ſcripturæ tueri conantur, & dicunt, Chriſtum aſcendiſſe in cœlos, & maieſtate ſua, quam per vnionem

perſonalem humanæ naturæ cum diuina accepit, eſſe in cælo corporato, & peculiari circumſcriptóq; loco, neq; poſſe vel diuina omnipotentia vel vlla alia potentia corpore ſuo ſimul in duobus pluribusue aut omnibus etiam locis eſſe: & ſedere ad dexteram Dei, quam Zuingliani ſentiunt & interpretantur peculiarem quendam definitumq; in cælo locum eſſe.

Hunc igitur ſenſum huius articuli fidei noſtræ, Chriſtus aſcendit in cælos, & ſedet ad dexteram Dei patris ſui omnipotentis, prorſus Zuinglianum eſſe arbitror, hoc eſt priuatum, & abſq; vllo fundamento ſcripturæ confictum, erroneum, damnabilem, atque recto & vero intellectui perſonalis vnionis, vtriuſque diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto, qua exaltatus eſt ſuper omne nomen, vt coram ipſo flectatur omne genu in cælis, in terra & ſub terra, prorſus contrarium & blaſphemum,

Non dubito autem ſi Deo nobis propter hominum ingratitudinem irato Zuinglianorum doctrina in eccleſia vincat, fore, vt ſicuti Arriani qui maieſtatem diuinæ naturæ in Chriſto abnegarunt, orthodoxos crudeliter & tyrannice ferro

ce ferro perſecuti ſunt, ita ſimiliter etiam Zuinglhani, qui maieſtatem humanæ naturæ quæ propter perſonalem vnionem Dei & hominis donata & ornata eſt, inuertunt & corrumpunt, orthodoxos latronum more perſecuturi & oppreſſuri ſint, quoniam ſpiritus mendacij idem homicidij quoq; ſpiritus eſt.

Etſi autem noſtra ætate quidam Zuinglianorum falſam ſuam doctrinam de Cœna Domini Auguſtanæ confeßioni fucatis verbis inſerere conantur, ac incipiunt ſimilia cum recte ſentientibus verba vſurpare, quemadmodum etiam Arriani antequam vincerent erga orthodoxos, fecere: tamen quia eorum ſpiritus mendacij ſpiritus eſt, nulla illis habenda eſt fides, neque vlla fucata compoſitio cum illis facienda eſt, ne poſteriora fiant peiora primis.

Quapropter quæſo per Dei gratiam omnes qui iuuare poſſunt, vt iuuent, & qui prohibere poſſunt prohibeant, vt Zuinglianorum ſpiritus in recta & vera Chriſti eccleſia ſedem locumque nullum habeat.

Interea non æquum iudico Papatus & quo-

rundam aliorum tyrannidem, qui titulo Zuingliani erroris ſynceros Chriſtianos à Zuingliani doctoribus ſeductos, neque melius edoctos, ferro perſequuntur. Volo etiam quantum in me eſt his, qui à Zuingliano errore ad veram fidem ex animo Dei beneficio conuertuntur, oſtium vitæ æternæ non eſſe occluſum

AD TESTAMENTVM D. IOANNIS BRENTII BREVIS, NECESSARIA, & modesta Responsio Ministrorum Ecclesiæ Tigurinæ.

NVPER admodũ arte Chalcographica Testamentum D. Ioannis Brentij publicatum est, quod ab illo è viuis excedente posteris relictum fuit: cæterum non minus vtile fuisset si illud æque ac reliqua pars extremæ illius voluntatis suppressum & nunquam fuisset in publicum editum, ita enim charitati paciq; consultum erat, & expostulationes, lites atque offensiones pauciores essent. Quoniam verò illud omnino publicare quibusdam visum est, & nominatim etiam contra Zuinglianos editum fuit, nemo nobis vitio vertere debet, & defensionem non necessariam existimare, si nos quoque in lucem proferimus nostram innocentiam doctrinamq; veram & Christianam, quæ hoc scripto absque vlla iusta causa conuitijs proscinditur, ideoque apud simplices in suspicionem aliquam venire poterat. Alioquin nos quidem non Zuingliani sed Christiani

nominari volumus: nullius enim hominis quantumuis docti, pij seu sancti, & celebris nomen recipimus aut agnoscimus. Sed quia hoc Testamento doctrina illa quam beatæ memoriæ Zuinglius in nostris ecclesijs bene recteq; proposuit, infense & ardenter oppugnatur, & conuicijs afficitur, quamuis cuperemus cum omnibus quatenus salua religione fieri potest pacem seruare, & nulli hactenus ita nobiscum agendi vllam occasionem præbuerimus, cogimur tamē ecclesiarum quibus inseruimus, honorem nomenq; quod hucusque Dei beneficio clarum habuere, ac simul sanam veramq; doctrinam nostram defendere & conseruare. Quod verò ipsius Brentij personam spectat, eum qui obijt quiescere patiemur, neque cum mortuo luctabimur, misericordi iudicio Dei ipsum commendantes, tantum contra Testamenti calumnias nostram innocentiam proponemus & defendemus.

Cœnam Domini nostri Iesu Christi obscurari & implicari humanis additionibus, & pugnantibus atq; litigiosis verbis & phrasibus.

PRimum omnium in hoc Testamento dicitur, falsam esse & damnatam doctrinam, grauem item & non ferendum errorem, si quis non confiteatur verum corpus & sanguinem domini nostri

noſtri Ieſu Chriſti vere & eſſentialiter præſens eſſe in cœna domini, & cum pane ac vino omnibus ore illud ſumentibus diſtribui, ſiue digni ſint, ſiue indigni.

Cœnã Chriſti implicari humanis additionibus.

Porro nos è contrario ab initio hactenus ſemper conſtanter aperteq; docuimus & ſcripſimus, & nunc quoq; docemus atq; ſcribimus, Cœnam ſacroſanctam domini noſtri Ieſu Chriſti, additionibus humanis, & concertationum plenis diſputationibus, & abſurdis atq; pugnantibus locutionibus, obſcurari & quaſi intricari, & ita factam eſſe eccleſiæ inſuauem, moleſtam & litigioſam, cum tamen ita inſtituta ſit à domino, vt in charitate & vnitate ac cum ſumma lætitia in ſpiritu ſancto, celebretur in commemorationem mortis acerbiſsimæ quam pertulit, & gratiarum actionem pro certiſsima noſtra redemptione, & in obligationem vnius corporis, &c.

Eſſentialiter ſeu corporaliter.

Humanum autem inuentum & additio eſt, quod dicitur panem & vinum cœnæ domini, eſſentialiter, hoc eſt corporaliter corpus & ſanguinem Chriſti eſſe: ideoq; etiam eſſentialiter, hoc eſt corporaliter in cœna præſentia eſſe, & eſſentialiter ſiue corporaliter cum pane & vino ſumi, tam ab indignis quam à dignis & credentibus. Quamuis enim dominus in ſacra cœna panem ſumens dixerit, Accipite, edite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur, mox tamen ſub-

iunxit, Hoc facite in mei commemorationem. Instituit etiam, quod omnes absq; controuersia confitentur, sacramentum, quare eius verba sacramentaliter & in commemorationis rationem accipienda sunt, iuxta eum modum quo & ipse suis in ecclesia semper adest, & quo corpus eius manducari potest & debet, nempe spiritualiter, non essentialiter aut corporaliter. Quare nomen essentialiter aut corporaliter non à Domino dictum est, sed ab hominibus verbis Domini additum contra naturam sacramentorum, & contra naturam & rationem percipiendi corpus Christi. Interea non ignoramus quo sensu in hac controuersia quidam viri boni & pacis studiosi vocula essentialiter seu substantialiter vsi sint, & quomodo eam explicarint: ac simul nouimus quam inique tulerint idipsum alij: sed id nos nil mouet, & horum sententiam in medio relinquimus. Quæ autem sit essentia corporis Christi nemini obscurum est, idq; ex ipsis Domini verbis, quæ mox à resurrectione de corpore suo protulit, dicens, Spiritus carnem & ossa non habet prout me conspicitis habere. Videte, contrectate me, &c. Luc. 24.

Non carnaliter neque visibiliter.

Aiunt, corpus quidem Christi essentialiter in Cœna adesse, & corporaliter manducari, non tamen carnali aut aspectabili ratione. Itane vero? Si hoc modo se res habet vt nunc explicant, nulla erit

la erit amplius controuerſia. Nam ſi hęc explicatio valet, poſthac merito abijcienda erunt verba ab hominibus inſerta & infarta, Eſſentialiter ſeu corporaliter. Certum enim notumq; eſt, id non eſſe corporeum quod proprietate corporis caret. Præterea cum dicitur corpus adeſſe & manducari eſſentialiter ſeu corporaliter: & mox additur, non carnaliter neq; viſibiliter, manifeſtum eſt poſterioribus verbis negari & aboleri quod prioribus dictum fuit: corporis enim proprietas eſt, vt ſupra intelleximus, carnem & oſſa eſſe, tangi & cerni poſſe.

Ineffabili modo & ratione.

Rurſus aiunt hæc omnia fieri ineffabili modo & ratione: Nos vero denuo reſpondemus, etiam hanc loquutionem abſurdam pugnantemq; eſſe, & quę ſeipſam ſubuertat. Nam qui dicit eſſentialiter & corporaliter, modum & rationem quomodo ſit expreſsit; quare non amplius eſt ineffabilis: Si vero modum & rationē effari non poſſumus, verba eſſentialiter & corporaliter abijcienda ſunt: quod ſi hæc verba retinere & obtrudere voluerint, modus eſt effabilis. Quare conficitur irrefragabiliter locutiones has inter ſe pugnare ſeq; mutuo euertere, quibus ſimplices inuoluuntur vt ſe in hac cauſa explicare & certum aliquid habere nequeant. Interea fatemur multa myſteria Dei ineffabilia eſſe, quemadmodū & D. Paul. 2. Cor. 2. ex propheticis teſtimonijs loquitur de

maiestate gloria & gaudio æternæ fœlicitatis: verum non eadem ratio vbiq; seruanda est, vbi firmis verisq; scripturæ testimonijs id non potest euinci, aut res ipsa verbo Dei explicata & dilucide expositaest. Vbi vero subsistere à Deo iubemur, & vlterius indagare vetamur, ibi iure obediendum & quiescendum est.

Qua ratione pacem adhibuit potissimus.

Propterea vero hæc à nobis indicantur, vt omnes solide cognoscant, humanæ prudentiæ additionibus è salutari læta & pacifica domini cœna pomum Eridis factum esse, ac proprietatem & simplicitatem sacræ institutionis, sacramentiq; naturam, obscuratam & concertationibus inuolutam esse, quare si pacem recuperare, & verum sensum retinere voluerimus, huiusmodi additiones & litigiosas concertationes omittere oportebit.

Vocem essentialiter necessario receptam esse.

Non ignoramus quid hoc loco nobis obijciatur, veteres coactos esse vti nomine essentiæ aut substantiæ contra Arrianos, ne illi in confitenda fide astute elaberentur, sed adigerentur ad veram essentiam Deitatis Christi confitendum: ita etiam aduersus Suermeros nomen essentialiter vrgendum esse. Cæterum hæc prorsus sunt dissimilia, nam vt cætera quæ in promptu sunt omittamus, alibi perspicue solideq; ostendimus, nomen essentiæ non ab hominibus excogitatum in hac contra Arrianos controuersia: sed ex claris

scripturis

ſcripturis propheticis & Apoſtolicis deſumptũ, & recte ad huius controuerſię explicationem adhibitum eſſe, neque in hac quæſtione de diuinitate Chriſti eſſe abſurdum aut litigioſum verbũ, ſed quod optime conueniat & ſeruiat rei de qua agitur: Sed vti ex ſuperioribus patet, nõ eadem eſt ratio nominis eſſentialiter in cauſa Cœnæ domini.

Indignos oraliter edere corpus Chriſti

Porro hoc quoq; manifeſta eſt additio, quod nouo vocabulo ab illis dicitur, indignos quoque manducare & oraliter ſumere corpus Chriſti: quod nunquam dominus aut eius Apoſtoli docuere, Corpus enim & ſanguis Chriſti non eduntur ore corporis, ſed tantum ſacramentum: Item corpus & ſanguis Chriſti non ſunt cibus qui orali manducatione in ventrem deſcendat, ſicut alij cibi corporei: id enim ad contumeliam domini faceret, vt non obſcure ex verbis ipſius Matth. 15. colligi poteſt. Præterea veteres orthodoxum iudicarunt, & vnanimiter confeſsi ſunt, corpus & ſanguinem domini eſſe ſpiritualem cibum & potum. Quin etiam corpus & ſanguis Chriſti fidelibus ſunt cibus & potus vitæ, infideles autem vita carent, quemadmodum & fide per quam vita recipitur: quare etiamſi hi ſacramentum ore ſumant, non tamen participes fiunt corporis & ſanguinis domini, quæ ſumpta vitæ non morti ſeruiunt. Nam quod aiunt, infideles cor-

pus quidem Christi edere nō autem participare fructum eius, hoc est vitam: manifeste repugnat verbis Domini dicētis, Qui me comederit viuet. Ioan. 6. Ideoq; etiā Apostolus distincte locutus est, neq; dixit, Qui corpus Christi indigne comederit: sed, quisquis ederit panem hunc indigne, damnationem sibi ipse edit, & reus tenebitur corporis & sanguinis Domini, propterea quod corpus Domini nō discernit neq; vera fide percipit: ac ideo etiam nō discernit & dijudicat singularem hunc & spiritualem cibum qui fide sumitur, à vulgaribus corporeis cibis qui ore sumuntur. Neq; aliter sensit & docuit vetus ecclesia Christi: D. enim Augustinus, diserte inquit, corpus Christi ab omnibus qui eius participes fuerint ad vitā sumi, à nullo ad exitium: sacramentum autem corporis & sanguinis Christi ad mortem sumi ab infidelibus. Tractatu in Ioannem 26. 1. Cor. 11.

Simplex & perspicua doctrina de Cœna Domini, & de præsentia et manducatione corporis et sanguinis in Cœna Domini.

IAm vero quo in grauissimo negotio Cœnæ Domini nihil nostrum nullaq; verba aut phrases à Domino & Apostolis non vsurpatas immisceamus, quæ forte secum pugnent & concertationum causam præbeant, sed vt verba Domini & simplicem eius institutionem seruemus, ita docemus de Cœna Domini: Institutam hanc esse à Domino

Simplex confessio de Cœna Domini.

Domino ad gratiarum actionem & commemora tionem mortis ſuæ,quam ad redemptionem noſtri ſemel obijt:huic Cœnæ ſuę quando iuxta ipſius verbum à fidelibus peragitur, Dominum ſicut promiſit præſentem adeſſe, & in fidelibus operari ſeu efficacem eſſe, & hos verum eius corpus & ſanguinẽ edere ac bibere,eo modo quẽ ipſe dixit & explicauit.nempe ſpiritualiter, per fidem, ad vitam æternam:porro indignos ſiue infideles ſumere panem & poculum Domini ſibiipſis ad iudicium & condemnationem.

Ex his quæ protulimus cuiuis apertũ eſt, nos nihil de noſtro commiſcuiſſe, ſed ſimpliciter retinere ipſa Domini verba,inſtitutionem & expoſitionẽ in euangelicis & apoſtolicis ſcriptis traditã. Matt.26. Ioan.6. 1.Cor.11.

Inſtitutio Sacramentorum.

Sacramẽta vero vt Baptiſmus & Cœna Domini ab ipſo Seruatore noſtro hac ratione inſtituta ſunt,vt vna cũ verbo duo in illis ſint conſideranda,ſignũ & res ſignata: & de hoc nulla eſt neq; vnquã fuit cõtrouerſia. Signũ externũ quiddã eſt & viſibile,veluti in Baptiſmo aqua,quæ affunditur in nomine Patris Filij & ſpiritus ſancti:in Cœna Domini panis & vinũ,quę frangũtur,effunduntur,& ſumũtur. Signatũ vero internũquiddã eſt quod oculis fidei cernitur,vt in Baptiſmo,regeneratio,remiſsio aut emũdatio peccatorũ,itẽ recipi & quaſi incorporari ſeu inſeri populoDei:in Cœna,verũ corpus & ſanguis D. noſtri Ieſu Chriſti,

quæ ille morti tradidit & effudit, in remiſsionem peccatorum noſtrorum & acquiſitionem vitæ æternæ. Cœnæ huic dominus ipſe in cœtu fidelium præſens adeſt ſpiritu ſuo, gratia item & efficaci operatione, quemadmodum ſemper ſacramentis ſuis præſens adfuit ſeq; præſentem fore promiſit. Manducationis autem veri corporis & ſanguinis domini in cœna hæc ratio eſt: quicunque fidelium corda ſua in cœlos extollunt, & in eccleſia vera fide ad cœnam domini accedunt, vt conſiderent ipſius mortem, in qua corpus ſuum tradidit & ſanguinem ſuum effudit pro noſtra redemptione (hic enim præcipuus finis eſt cœnæ domini, quandoquidem & dominus ipſe bis dixit, Hoc facite in mei commemorationem) & vt propterea gratias agant domino: hi ore quidem percipiunt ſignum ſeu ſacramentum corporis & ſanguinis domini, panem nempe & vinum externe atq; viſibiliter, verum non hæc ſola accipiunt, neque etiam nihil aliud quam panem & vinũ vt alioqui in corporali cibo & potu ſumunt, ſed animi eorum interius per fidẽ accipiunt rem ſignatam, nempe verum corpus & ſanguinem Chriſti, verum hoc modo & forma quam dominus ipſe verbo ſuo expoſuit, ſcilicet ſpiritualiter, ita vt verum corpus & verus ſanguis Chriſti ſedens ad dexteram Dei, non corporaliter ſit cibus ventris, & dentibus atteratur, ſicuti ſignum ſeu ſacramen-

Dominus in cœna præſens adeſt.

ſacramentum atteritur, ſed fide recipiatur ad vitam. Nam duntaxat vera fide neq; præterea vlla alia ratione Chriſtum ſumimus & percipimus, qui paſsione ſua peccatorum remiſsionem & vitam æternam impetrauit: fidei autem virtus per Spiritum ſanctum efficit in fidelibus vt viuant, & certo ſtatuant ſe ab omnibus ſuis peccatis mundatos eſſe. Hac igitur ratione dominus noſter nominatur & eſt cibus & potus vitæ: nam vt corporeus cibus & potus ſumpta, hominem in præſenti vita ſuſtentant: ita ſi vera fide edamus & bibamus, hoc eſt recipiamus dominũ Ieſum, credentes quod eius ſanguis pro nobis fuſus ſit, & ſe tradiderit pro noſtra mundatione & vita, noſter eſt cibus & potus, nos emundat & conſeruat ad vitam æternam. Eadem quoq; ratione in nobis manet & viuit, noſq; viciſsim in ipſo manemus & viuimus.

Eodem modo Chriſtus in Euangelio Ioannis aperte inquit ſe eſſe panem illum vitæ: item, panem quem daturus ſit eſſe carnem ſuam, quam daturus ſit ipſe pro vita mundi: & qui ederit panem hunc victurum in æternum. Cum vero auditores eius dicerent, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare qua veſcamur? edocet eos non eſſe aliam rationem perueniendi in vitam, quam ſi comederint carnem ſuam & biberint ſanguinem ſuum, quoniam hęc ſola ſint cibus & po-

Ioan 6. Quomodo caro Chriſti ſit noſter cibus.

tus ad vitam æternã, extra quæ vita nulla eſt nec inuenitur. Porro cum auditores eius hoc ſermone tanquam duro & inhumano offenderentur, quaſi exigat vt humana carne veſcamur & ſangui nem bibamus, ita enim perperam intelligebant, ſeipſum poſtea interpretatur, ac dicit illis, ſe in cœlos aſcenſurum eſſe, vnde maieſtatem & gloriam eius cognoſcere poſsint, & quod non falſo illis polliceatur vitam, cum ſit filius Dei. Præterea vult eos ex aſcenſione ſua diſcere, ſe ab homi nibus non edi aut conſumi corporaliter, quandoquidem totus corporaliter in cœlos aſcendat. Item carnem corporaliter manducatam, quemadmodum ipſi ſentiebant manducandam, nihil prodeſſe ad vitam: ſed morti traditam, & ſpiritua liter fide perceptam, vitam afferre. Spiritũ nanq; eſſe qui viuificet, & verba quæ ipſe loquatur illis de comedenda carne ſua, & bibendo ſanguine ſuo, ſpiritum eſſe & vitam. Initio etiam huius ſermonis, vt clare explicaret quomodo panis vitæ ſit, & recte ad vitam ſumatur, aperte dixit, Ego ſum panis ille vitæ: qui venit ad me nequaquam eſuriet: & qui credit in me non ſitiet vnquam. Vbi pro Edere ponit, venire ad ipſum. Rurſus etiam inquit, Nemo venit ad me niſi Pater meus traxerit eum: hoc eſt, nemo credit in me, niſi Pater meus illi in cor inſeruerit fidem per ſpiritum ſuum. Clarius adhuc inquit. Qui credit in me

non

non ſitiet vnquam: vbi aperte Credere pro bibere ponitur: quare edere & bibere nihil aliud eſt quam credere. Quare ex verbis Domini perſpicue cognoſcitur ſpiritualem manducationē Domini, ſiue corporis eius, non alia ratione quam per ſolam fidem fieri.

Sextum caput Euangelij Ioannis recte ad hiberi ad expoſitionem Cœnæ Domini.

QVæ proxime è ſexto capite Euangelij D. Ioannis protulimus, ad explicandum veram & ſalutarem manducationē corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſacra Cœna, quidam quod non ignoramus, reijciunt, dicentes, Dominum Ioannis 6. capite non locutum eſſe de ea manducatione corporis & ſanguinis ſui quam poſtea in vltima Cœna inſtituit: nam cum Capernaumi de cibo & potu corporis & ſanguinis ſui concionaretur, Cœnam ſacram nondum inſtitutam fuiſſe: præterea Cœnam Domini longe aliam actionem & manducationem eſſe ab illa quæ Ioannis 6. capite expoſita eſt.

Quid præter ea quæ Ioan 6 habentur. Matth. 26. Dominus inſtituerit.

His vero qui talia obijciunt libenter damus, Cœnam Domini nondū fuiſſe inſtitutā, quando Chriſtus Capernaumi eam concionē habuit quę Ioan. 6. cap. deſcripta eſt: item Matth. 26. capite quædam alia, & plura his quæ Ioannis 6. habentur, à Domino inſtituta eſſe. Etenim verbo ſuo

addidit ſacramentalé actionẽ, ad conſeruandam in recenti memoria paſsionem & mortem quam cauſa redemptionis noſtræ ſuſtinuit: inſtituens ſcilicet vt eccleſia fidelium in vnum conueniat, & panem ſimul frangat, & potum accipiat, quem admodum dominus iuſsit facere ad commemorationem mortis ſuæ & noſtræ redemptionis: & interea etiam ſimul dominum laudet & celebret vera gratiarum actione: & confeſsione fidei ſuæ, & obligatione in vnum corpus eccleſiæ Chriſti: cuncta enim hæc confitetur reipſa & facto in vſu ſacrę Cęnę. Nam vti ſupra expoſuimus, & nemo vnquá in controuerſiá vocauit duo in ſacramentis conſideranda ſunt, ſacra ſigna, ſiue externa & viſibilis actio à Deo inſtituta: deinde res ſacra ſignata, quá actio hæc operatione ſpiritus ſancti renouat & recenti in memoria conſeruat, imo ſuſtentat recte vtentes. Signũ igitur ſiue actio Cœnę domini non eſt inſtituta Ioan. 6 ſed Mat. 26. c.

Cęterum quod ad rem ſignatam ſpectat, nempe corpus traditum & ſanguinẽ effuſum, paſsionem & mortem Chriſti, per quæ viuificantur credentes, hæc inquam non alia ſunt in actione Cœnæ quam illa de quibus dominus Ioannis 6. locutus eſt. Vnica enim tantũ eſt redemptio: ac vnum duntaxat corpus dominus noſter habet, ex Maria virgine aſſumptum, quod ante & poſt Cœnæ inſtitutionem, in Cœna & extra eam, ſemper vni

cum

eum corpus manet (institutio enim sacramenti nihil in corpore Christi mutat) & suam naturam ac proprietatem seruat, ideoq; sicuti ipse quoque aperte testatur, corporaliter manducatum non prodest. Cum autē Dominus Cœnam suá Matt. 26. instituęret proculdubio firma memoria complectebatur ea quæ Ioan. 6. dixerat, ideoque credendum est eum nihil postea instituisse, quod vnicæ suæ doctrinę antea propositæ aduersaretur, neq; ecclesiæ suæ commendasse aut tradidisse id quod antea testatus fuerat nihil prodesse. Quapropter verum est expositionem à Domino Ioannis 6. capite factam, de manducatione & potu corporis & sanguinis sui, optime inseruire explicationi Cœnę quam Dominus Mat. 26. instituit.

Doctrina nostra non est noua, neq; contraria diuinis literis, & sententiæ orthodoxæ veteris ecclesiæ.

DOctrina nostra hactenus exposita de prę-sentia Christi in ecclesia & apud credentes, deq; manducatione & potu veri corporis & sanguinis eius in sacra Cœna, non nostra tantum sententia est, aut noua & à nobis excogitata, neque aduersatur sacris literis, & sententiæ orthodoxæ veteris ecclesiæ, quemadmodum testamento Brentij asseritur. Id enim quod docemus, ex scripturis sacris, vt supra ostēsum est, didicimus. Christus etiam qui in vltima Cœna panē ac po-

Christus nō est corporaliter fidelibus præsens in ecclesia.

culum discipulis porrigens dixit, Accipite, edite, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, multo vehementioribus & clarioribus verbis seipsum explicauit, ac ostendit se non fore corpore suo fidelibus in ecclesia corporaliter præsentem, dicens, Non sum amplius in mundo, sed hi sunt in mundo, & ego ad te venio. Item, Exiui à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundū & proficiscor ad Patrem. Rursus, Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego abeā, nisi enim abiero Consolator ille non veniet ad vos: sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos. Item, Non relinquam vos orbos &c. Ego autem rogabo Patrem, & alium Consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: nempe spiritū illum veritatis. His omnibus sententijs Dominus ecclesiā suam clarissime docuit, se deinceps post ascensionem suam non amplius corporaliter sed spiritualiter in ecclesia habitaturum. Quare non absq; ratione, neq; contra Domini doctrinam omittimus in hac causa nomina Essentialiter & Corporaliter, quod ab ipso Domino exclusa sint, vtimur autem nomine spiritualiter, vtpote quod ex ore Domini & tot eius claris testimonijs desumptum sit.

Ioan. 17. Ioan. 16.

Ioan. 14.

Præterea vetus & orthodoxa ecclesia, non aliam sententiā de Cœna Domini quam hanc nostram ab ipsa vsq; Apostolorum ętate habuit. Diuum

num enim Aurelium Augustinum omnes ortho doxum doctorem & episcopum agnoscunt, is in libris suis non tradit propriam & peculiaré quan dam suam fidem, sed communem & catholicá fidem, in ecclesia suæ ætatis receptam: nunquá ve ro à quoquá reprehensus est quod de Cœna Domini non recte & Christianè senserit atq; scripse rit: is tamen aperte eadem nobiscũ de Cœna Domini professus est. Primũ in Sacramẽtis vna cum verbo Dei duo consideranda esse, signum & rem signatam. Deinde hanc esse consuetudinem sacra rum literarum vt signis tribuant nomen rerũ si gnatarum: atq; ita in Cœna Domini panem & vi num nominari corpus & sanguinem Christi: dili genter vero hic cauendũ esse, ne propterea signũ accipiamus pro re signata: esse enim hanc misę ram animorum seruitutẽ. Tertio scripturá sicuti de Sacramentis sacramentaliter loquitur, ita etiá sacramentaliter & figurate intelligendam esse. Quare etiam Augustinus ipse verba hæc, Hoc est est corpus meũ, hic est sanguis meus, figurata esse fatetur: & connumerat verbis Pauli, Petra autem erat Christus: Interpretatur autem ea hoc modo, panem & vinum significare corpus & sanguinem Christi: siue (vt etiam alij veterum locuti sunt) panem & vinum esse signa, figuram, symbola & sacramenta corporis & sanguinis Christi. Quod si quis verbis nostris credere

Augustinus orthodoxus ecclesiæ doctor.

Hoc est corpus meum.

noluerit legat Auguſt. De doct. Chriſt. lib. 3. cap. 5. 8. 9. Ité, Queſt. lib. 3. in Leuit. Quæſt. 57. In Pſal. 3. Contra Adimantum cap. 12. Epiſt. 23. &c.

Quarto idem Auguſtinus diſſerens de preſentia Chriſti in eccleſia Euangelium aperte dicit, Chriſtum poſt aſcenſionē ſuam in cœlos non eſſe corporaliter in eccleſia præſentem, ſed ſpiritualiter. Si quis ipſius verba cognoſcere cupit legat in Ioannis Euangelium tractatū 50. & 106. vbi diſerte ait hanc doctrinam eſſe orthodoxam, & hanc eſſe veram & rectam fidem eccleſiæ Chriſti.

Quinto aperte dicit corpus & ſanguinē Chriſti non edi & bibi corporaliter ore, ſed ſpiritualiter per fidem. Imo libere dicit, ſi verba Chriſti, Niſi comederitis carnē filij hominis, &c. Ioan. 6. iuxta literam & non figurate accipiantur, facinus vel flagitium committi. Atq; ſicuti cæteri Patres omnes, ex ſexto capite Ioannis interpretatur negotium Cœnæ dominicæ, quomodo verum corpus & verus ſanguis Chriſti edatur & bibatur; ideoq; Ioannem ait nihil in ſuo Euangelio, vt cęteri Euangeliſtę fecerunt, de Cœna Domini ſcripſiſſe, ſiue de manducatione corporis & ſanguinis Chriſti, propterea quod hæc alibi expoſuiſſet. Quod ſi quis dubitat & meis verbis fidem habere noluerit, legat Auguſt. De doct. Chriſt. lib. 3. cap. 10. &c. Tractatu in Ioannem 25. & 26. & De Conſenſu Euangeliſtarum lib. 3. cap. 1.

Sexto

Sexto docet idem ſæpe nominatus pater, indignos ſiue infideles edere quidem & bibere ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ideoque mortis Chriſti propter indignitatem fidei ſuæ reos fieri, non tamen percipere ipſum corpus & ſanguinem Chriſti, quæ duntaxat ad vitam & non ad exitium ſumuntur. Ita Iudam comediſſe panem domini, ſed non panem dominũ ipſum in vltima cœna ediſſe, idq; illi exitio fuiſſe, quemadmodum cæteri Apoſtoli qui panem vitæ dominum ipſum manducarunt, vitam acceperunt. Cui libuerit legat Auguſtinum Tractatu in Ioannem 26. 59. 62. & De Ciuitate Dei lib. 21. cap. 25.

Atq; hæc quidem quanta fieri potuit breuitate commemoraui vt omnibus manifeſtum fiat quam iniuſte hoc Teſtamento accuſemur, doctrinam noſtram de cœna domini repugnare ſententiæ veteris orthodoxæ eccleſiæ: Dei enim beneficio, veris rationibus contrarium euicimus. Quare conuicia Teſtamenti huius, doctrinam ſcilicet noſtram falſam & damnatam eſſe, & errorem grauem ac intolerabilem, iuſto iudici committimus: Scimus enim ſi noſtra doctrina talis eſſet qualem illi calumniantur, neceſſario quoq; veteris eccleſiæ doctrinam talem fore: quod tamen falſum eſt: recte enim illi & nos quoq; cum eis docent. Quare noſipſos conſolamur verbis

his domini, Beati eritis quum conuitiati fuerint vobis homines, & dixerint quiduis mali aduersus vos, mentientes propter me.

De vera interpretatione scripturarum & corporali ascensione Christi in cœlos.

GRauius postea & acerbius in hoc Testamento accusamur, quod falsam nostram doctrinam de Cœna Domini defendere conemur falsa interpretatione scripturarum, ac dicamus Christum ascendisse in cœlos, & iuxta maiestatem suam, quam personali vnione humanæ naturæ cum diuina accepit, esse in cœlo corporeo & peculiari quodam atque definito loco, neque posse vel per Dei omnipotentiam, vel vlla alia vi & potentia corpore suo simul in duobus vel pluribus aut omnibus locis esse: sedere vero ad dexteram Dei, quam nos peculiarem & definitum cœli locum interpretemur. Omnia autem hæc absque vllo testimonio sacræ scripturæ conficta esse, & erronea atque damnanda.

De vera interpretatione sacrarũ literarum.

Ad grauem hanc attamen iniquam & nullis rationibus subnixam accusationem, ita simpliciter respondemus. Nos hactenus sacræ scripturæ sententias semper religiose tractauimus inuocata Dei gratia, atque illas declarare & interpretari

tari ſtuduimus, non autem falſis interpretationibus peruertere & corrumpere. Nam hactenus ſemper iudicauimus hanc eſſe veram & legitimam ſcripturarum interpretationem, vbi nihil profertur contrarium gloriæ omnipotentis Dei, ei inquam gloriæ quam ſibi vendicat, nihil item pugnans veræ fidei, & articulis Symboli Apoſtolici, nihil denique aduerſum charitati Dei & proximi: atque vbi ſenſus ex ipſa ſcriptura ſumitur, non ex humano affectu infertur: proprietas linguæ cuiuſque ſeruatur: occaſiones & ea quæ antecedunt & conſequuntur, cæteraque adiuncta diligenter expenduntur: & ſenſus etiam ſeruatur aliorum ſcripturæ teſtimoniorum, quæ vel diſſentire videntur, vel etiam clarius de eadem re loquuntur. Neque aliter veteres & orthodoxi Patres de ſcripturarum interpretatione docuerunt: id quod ex libris eorum conſtat, & præſertim D. Auguſtini de Doctrina Chriſtiana.

Quapropter ſi quid à nobis contra cõmemoratas regulas cõmiſſum eſt, audire cupimus vbi & qua nam in re peccauerimus. Quia tamen in Teſtamento hoc nominatim nobis obijcitur aſcenſio Chriſti in cœlos, quaſi loca in quibus eius fit mentio corruperimus, primũ breuiter commemorabimus quidnã de aſcenſione Chriſti doceamus: deinde ad reliqua capita quæ cõmemorãtur

reſpondebimus, & Dei beneficia demonſtrabimus nos nulla falſa ſcripturarum interpretatione vti, neque in reliquis capitibus quicquam nouum à nobis proponi, & de quo non idem nobiſcum docuerit vetus & orthodoxa Chriſti eccleſia.

De aſcenſione Chriſti.

De aſcẽſione igitur Chriſti in cœlos hactenus ita ſemper docuimus, & docemus, dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum vero ſuo corpore humano quod ex beata & intemerata virgine aſſumpſit, & in quo crucifixus & mortuus eſt, ac tertio die à mortuis reſurrexit, mundum hunc & præſens ſeculum deſeruiſſe, & à terris in altum, in cœlum ipſum aſcendiſſe, ideoque non iam hic inferius corporaliter in terris eſſe. Ita nanq; docet nos articulus fidei noſtræ, Aſcendit in cœlos: eodẽ modo nos credere docent ſacræ literæ in Euangelijs & Actis Apoſtolorum, his verbis: Dominus igitur cum benediceret eis diſiunctus eſt ab eis, ſurſumq; ferebatur aſpicientibus ipſis: & nubes ſuſceptum eum abſtulit ab oculis eorum. Verum ne quiſquam exiſtimaret eum in nubibus manſiſſe, ſicuti quidam hæreticorum ſenſerunt, à Luca additur & id Marcus quoq; teſtatur, eum cum ſurſum ferebatur in cœlum receptum eſſe. Obſeruandum autem eſt quod ſcribunt receptũ in cœlum. Quinetiam Angeli apparuere cum dominus aſcendiſſet, & Apoſtolis qui intentis in

Luc. 24. Marc. 16. Act. 1.

cœlum

cœlum oculis attoniti quodammodo erant, dixe re, Viri Galilæi quid ſtatis intuentes in cœlum? hic Ieſus qui ſurſum receptus eſt à vobis, ita ve-niet quemadmodum conſpexiſtis eum proficiſcentem in cœlum. Acto. 1. & Marc. 16.

Quod ſi hac occaſione teſtimonij angelici, in ſcripturis quæſiuerimus quando & quomodo Chriſtus venturus ſit, inſtruet nos articulus fidei noſtræ, Inde (à cœlis & dextera Dei) venturus eſt ad iudicandũ viuos & mortuos. Paulus quoq; ad Theſſalonicenſes dominũ de cœlo ventu rum inquit in nubibus ad iudicandum, cum hortatu & voce tubæ archangeli: deinde fideles transformatos & qui à mortuis reſurrexerint, rapiendos in nubes in occurſum domini in aera, & cum domino recipiendos in æternã felicitatem. Ex his omnibus rationibus firmis & immobilibus, conficitur verum corpus domini noſtri Ieſu Chriſti ad cœlos aſcendiſſe, & in cœlo habitare, vt non amplius corporaliter deſcendat donec iudicaturus eſt viuos & mortuos, tum enim corporaliter & viſibiliter ſe conſpiciendum exhibebit, Angelo teſtante, Ita veniet quemadmodum conſpexiſtis eum proficiſcentem in cœlum: & domino ipſo dicente, Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute & ingenti gloria. De eodem quoq; aduentu ſcriptum eſt, Videbunt eum in quem pupugerunt.

Eodem modo Pattes orthodoxi articulum de aſcenſione Chriſti & eius aduentu ad iudicium, intellexerunt, atque diſerte ſcripſerunt, Dominum aſcenſione ſua reliquiſſe mundum, ita vt vſque ad extremum iudicium non amplius corporaliter adſit in eccleſia, ſpiritu tamen & diuina ſua virtute præſens ſit ad finē vſq; mundi. Quod ſi quis hæc in ipſis Patribus inſpicere cupit, legat ea quæ Cyprianus & Auguſtinus in Symbolum ſcripſere: ac rurſus Auguſtinum Tractatu in Iohan, 21.94.102.106.155. De agone Chriſt. cap. 24. 25. De Ciuitate Dei lib. 12. cap. 4. Cyrillum lib. in Ioan. 10. cap. 38. & lib. 11. cap. 21. & 22. Quibus alios complures adiungere poſſemus.

Si vero nihilominus quidam volunt corpus Chriſti hic in terris corporaliter præſens habere, nemo tam exigui iudicij erit qui non animaduertere poſsit, hos irrefragabilibus teſtimonijs veritatis ante productis repugnare. Quis vero nos veritate adeo manifeſte cognita arguet quod ſcripturas corrumpamus? Tum potius falſi damnari poſſemus ſi ex aſcenſione Chriſti faceremus diſparitionem quandā, non corporalem diſceſſum: aut ſi doceremus Chriſti corpus aſcenſione in cœlos deificatum non amplius corporatum eſſe: quemadmodū nonnulli perperam de eo loquuntur: contra quos vniuerſa ſcriptura & omnes Patres clare teſtantur, corpus Chriſti in gloria & maieſtate

maieſtate, ſeruare nihilominus proprietatem & formam veri corporis. Qui vero de hoc dubitat legat Auguſtinum Tractatu in Iohannem 22. 40. & 111.

Corpus Chriſti in gloria proprietatem & formam ſuã ſeruat.

Cæterum quod nonnulli obijciunt corpus Chriſti quod aſcendit & nunc eſt in gloria, vere præſens eſſe eccleſiæ ſuæ, non tamen viſibiliter ſed inuiſibiliter: idipſum naturæ & proprietati veri corporis prorſus repugnat. Porro quod aiunt eſſentialiter & corporaliter præſens eſſe non tamen viſibiliter, perinde eſt ac ſi quis dicat lucernam lucere ſed abſque lumine: ignem arderе ſed abſque calore: aquam fluere, non tamen humidam & fluxam eſſe: hæc enim ſunt mera ſophiſmata & latebræ hominum qui non ſtudent ſimplici veritati, ſed rixis & tenebris. Si dominus eccleſiæ ſuæ inuiſibiliter adeſt, cur non contenti ſunt nomine ſpiritualis, cur ab illo tantopere abhorrent.

Corpus Chriſti inuiſibiliter præſens eſſe.

De cœlo beatorum ſede in quod Chriſtus Dominus aſcendit, id eſſe certum locum à Deo beatis deſtinatum, neque vbique eſſe.

QVod vero cœlum ſpectat in quod Chriſtus dominus aſcendit, de eo ita vt ſemper & perpetuo receptum fuit ſimpliciter loquimur, cœlum illud ſupra nos in alto eſſe, certum

locum à Deo definitum destinatum æternæ beatæq; habitationi Christi & electorum eius. Dicitur quidem in scripturis Christum ascendisse super omnes cœlos, alibi tamẽ scribitur, receptum esse in cœlum, vt supra ostendimus. Quare supra omnes cœlos inferiores & visibiles (de quibus Propheta & Apostolus dixere, Cœli sunt opus manuum tuarum, illi transibunt, tu autem manes, &c.) ascendit in supremum cœlum quietis & felicitatis æternæ.

Christus ascendit super omnes cœlos.

Psal. 101. Hebr. 1.

De hoc igitur cœlo & Christi habitatione in cœlis D. Petrus dixit: Christum oportuit cœlum accipere (aut vt alij interpretantur, cœlo capi) vsq; ad tempora restitutionis omnium, quæ præ dixit Deus per os omnium sanctorum suorum à seculo Prophetarum. Similiter D. Paulus scribit, Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero respondens: sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc in conspectu Dei pro nobis. Ac paulo post similia D Petro, de Christi habitatione in cœlis ad nouissimum vsq; diem, in hæc verba scribit, Et sicut illud statutum est hominibus vt semel moriantur, postea verò iudicium: ita & Christus semel oblatus (occisus) est, vt multorum peccata tolleret, altera vice absq; peccato conspicietur ijs qui ipsum expectant ad salutem. Hæc testimonia duorum Apostolorũ Petri & Pauli clariora sunt

Act. 3.

Hebr. 9.

quam

quam vt vlla interpretatione opus habeant.

Cœlum igitur Domini nostri Iesu Christi peculiarem & certum definitumq; locum esse dicimus, quoniam scriptura id nobis ostendit superius in alto, non inferne in terris, multo minus apud inferos sub terra, aut etiam vbiq;. Christus etiam quotiescunque orauit & oculos in cœlum sustulit sursum aspexit non deorsum. Nos quoq; quando oramus sursum in cœlos corda & oculos nostros attollimus, non in omnia vbiq; loca. Præterea cum Christus in cœlos ascenderet sursum ferebatur (vt supra ostendimus) & nubes quæ supra nos sunt abstulerunt eum à conspectu discipulorum: ipsi quoque discipuli cœlum intuebantur quod supra non pone ante aut retro illos erat. Quamobrem dicimus cœlum beatorum esse certum & à Deo definitum locum, in quem omnes electi cum Christo colliguntur, & cum eo in perpetua felicitate habitant. Cœlum esse locũ certũ.

Porro nostram sententiam præter commemoratas rationes clara verba Christi cœlorum domini confirmant, quibus aperte cœlum locum nominat. Nam in Euangelio Iohannis inquit, In domo patris mei habitationes multæ sunt: alioqui dixissem vobis. Proficiscor paraturus vobis locum. Et quum profectus fuero & parauero vobis locum rursum veniam, & assumam vos ad me ipsum: vt vbi sum ego, illic & vos sitis, Dominus cœlum beatorum locũ nominat. Ioan. 14.

Cum autem Dominus hæc verba de cœlo dicat, & illud habitationem & locum bis nominet, & Vbi & Illic quæ certi loci sunt voculæ, vsurpet, constanter retinemus ipsius Domini verba: ipse enim optime omnium nouit, num cœlum habitatio & certus locus sit nec ne, neque pudet nos cum cœlorum Domino, cœlum habitationem & locum nominare. Præsertim cum
Philip. 3. etiam Paulus dicat, πολίτευμα nostrum in cœlis esse, vnde etiam seruatorem expectamus Dominum Christum. Quod si cœlum locus est, vt Christus ipse testatur, certe non poterit vbique esse. Idipsum etiam facile intelligi potest ex verbis, è terra in cœlum ascendere, item è cœlo descendere in nubes ad iudicium. Nam si cœlum vbique esset, nullo opus esset ascensu aut descensu, cum antea vbique in cœlo cuncta essent, vbicunq; tandem essent, quare non opus foret vtin illud ascenderetur.

Quæ fuerit ueterum & maiorũ nostrorum sententia de cœlo.

Quinetiam maiores nostri & omnes orthodoxi hanc sententiam quæ cœlum certum esse locum negat nunquam in animum induxerunt, sed corda sua in cœlos sursum sustulerunt, non deorsum aut antrorsum aut retrorsum, aut in latus. Similiter illi constanter & recte crediderunt animos suos separatos à corpore, recipiendos in cœlum cum Christo & cunctis fidelibus: corpora quoque sua mortua

& se-

& sepulta, extremo die à mortuis suscitanda, Domino obuiam in nubes & aera rapienda, vt cum eo ferantur in locum æternæ beatitudinis, quem præparauit omnibus diligentibus se. Atque hæc est vera vetus orthodoxa & indubitata fides, à qua fideles sese abduci non patiuntur ad cœlum aliquod vbiquetarium, quod simplices vbi nam sit & vbi illud quærere debeant ignorant.

Nouadoctrina de cœlo.

Quod autem nostra ætate & in controuersia de Cœna Domini asseritur, cœlum beatorum non esse definitum & circumscriptum locum sursum in alto, sed cœlum vbique esse, cum in omnibus terræ locis, tum etiam in inferno sub terra, ac etiam diabolos in hoc cœlo esse, nouum prorsus & tetrum dogma est, horrendum auditu, quo simplices homines grauiter inuoluuntur & perturbantur, vt nesciant cum sibi moriendum fuerit quonam peruenturi sint, si cœlum nullus certus locus est. Dolet autem nobis ex animo tam absurda dogmata vnquam fuisse proposita & controuersa. Quod si homines labore & studio tanto docuissent, Christum in cœlis vbi à patre collocatus est vero suo corpore ad consolationem & salutem nostram quærere, quantum studuerunt verum eius corpus, deducere in panem, aut cum pane coniungere, quo tamen loco à Patre non est collocatum, non e-

pus fuiſſet hoc commento vbiquitatis, & ridiculo illo atque abſurdo cœlo infernali: multa etiam grauia ſcandala infirmorum, & hoſtium noſtrorum ludibria potuiſſent caueri. Verum hæc ſunt præmia inſuperabilis ſtudij concertandi & litigandi in cauſa adeo ſimplici & aperta.

Cœlum nõ eſt locus terreſtris ſed cœleſtis.

Cæterum à quibuſdam improbe ſimplex noſtra doctrina inuertitur, qui nobis, vt & præſens Teſtamentum facit, obijciunt, fingere nos corporeum Chiliaſtarum aut Machumetanorum cœlum, in quo beati quemadmodum in his terris corporeas habitationes & diſtincta domicilia habeant. Quærunt igitur ſi Chriſtum in tali cœlo habitare oporteat, an coactus & cœlo captus ac quaſi vinctus degat, ſedeat, ſtet, iaceat, obambulet etiam, an ſemper in vno loco ipſum eſſe & manere oporteat, &c. Verum hæc à nobis dudum confutata ſunt, ſi tantum æqua reſponſio aliquem apud illos locum haberet: actum inter alia diximus, cogitationes & ſermones huiuſmodi petulantes, leues & impios, qui grauiter ſimplices homines offendunt, nulla occaſione iuſta noſtræ doctrinæ impingi aut ex ea conſequi. Quamuis enim cum ſcripturis cœlum nominamus certum locum felicitatis, eumque ſurſum non deorſum in terris, neque etiam vbique, ſed eo in loco quem Deus æternæ felicitati deſtinauit atque definiuit, tamen ita de

cœlo

cœlo verba facimus, ſicuti merito ſentire & loqui oportet de negocijs felicitatis noſtræ, exemptis ab huius miſeræ vitæ conditione. Dicimus itaque cœlum beatorum non eſſe terrenum ſed cœleſtem locum, conuenientem & idoneum mentibus à corpore ſeparatis, & corporibus etiam clarificatis, quæ libera ſunt à corruptione, & carnalibus præſentis vitæ affectibus, defectibus item & miſerijs: nihilominus tamen cœlum hoc manet certus & finitus & à Deo circumſcriptus locus, ſuam cœleſtem naturam & proprietatem habens. Quare non opus eſt vt ſoliciti ſimus & quæramus, quomodo habitationes ſint diſtinctæ, & quæcunque alia huius generis curioſæ non neceſſariæ atque etiam inutiles quæſtiones proponuntur. Dominus enim cum ſuis iuxta naturam clarificatorum corporum, quæ nihilominus vera corpora ſunt, ab omni tamen corruptione exempta, liberrime in cœlo degit ab omni coactione liber. Ideoque non tantum (vt ludicre imo petulanter nobis obijcitur) ſemper ipſum ſtare aut ſedere aut ambulare aut iacere oportet, ſed degit quomodo vult, & quo loco cœli vult, eo modo & ratione qui æternæ vitæ & naturæ ac proprietati clarificatorum corporum congruit: his nos contentos eſſe decet neque vlterius quærere & curioſe ſcrutari oportet, ſicuti etiam Diuus Auguſtinus

Cœlum eſſe liberrimũ locum.

docet, sufficere vt credamus Christum esse in cœlis, neque quærendum esse vbi aut quomodo in cœlo sit, vel quid illic agat, &c.

Christus nō est in cœlo quasi alligatus

Similiter Dominum nusquā cœlo alligamus, neque quasi in carcerem includimus, quemadmodum etiam beatæ mentes fidelium separatæ à suis corporibus, & post resurrectionem à mortuis corpora clarificata in cœlos assumpta non quasi in carcere & captiua sunt. Præterea scriptura aperte dicit, corpus Christi non in terra sed in cœlo esse, num propterea scripturæ impingemus quod Christum cœlo alliget? Certum enim est cœlum non esse carcerem, & angustiæ ac captiuitatis locum, sed locum libertatis, felicitatis æternæ, & ineffabilis gaudij.

Quomodo Christum oportuerit pati & cœlum occupare.

Neq; nos soli aut primi sumus qui dixerimus oportere Christum cœlos possidere aut accipere vsque ad iudicium: quod nobis vitio vertunt, & detorquent quasi Christo vim afferre eumque cogere conemur. D. enim Petrus ante nostris vtebris vsus est, Christum oportere cœlum accipere, &c. Similiter scriptum est, Christum oportuisse pati, & sic intrare in gloriam suam. Cæterum in his locis scripturæ, Oportet siue necesse est, non est seruilis quædam molesta & inuoluntaria coactio, sed diuini consilij, & optimi ordinis voluntaria executio. Quemadmodum enim Christum oportuit pati, quia ita Dei consilio ordinatum

tum erat, & humanum genus non aliter redimi poterat, ideoq; Christus necessarium hoc consilium suo ordine volens & libens passione & morte sua impleuit: ita etiam Christum oportet cœlum occupare & possidere, iuxta Dei decretum, voluntarie libenter & absque omni coactione: quia propter assumptam humanam naturá, quæ in clarificatione non abolita est, aliter fieri nequit, nisi humana natura abijciatur vt non amplius in Christo sit: quod tamen impossibile est, nisi vnicam Christi personam diuidere velimus, vt deinceps post clarificationem Christus Deus tantũ, non simul etiam homo sit & maneat: quod tamen & ipsum impossibile est. Præterea nostræ vtilitatis causa ita fieri oportuit, vt in Christo certamus quonam nobis perueniendum sit, & quis sit locus nostræ felicitatis futurus: quádoquidem dixit, vbi ego ero ibi & minister meus erit. Item, Assumam vos ad me. Ex his constat quomodo necesse seu oportet illud intelligendum sit.

Ac tantũ abest vt nostra sententia contraria sit veteri orthodoxæ ecclesię, vt maiores nostri, sicuti supra dixi, nũquá ne cogitarint quidẽ cœlũ esse in terris, & sub terra apud inferos, aut etiá vbiq.

De dextra Dei, an possit certus locus nominari?

Dextera Dei in scripturis plura significat

ALiud deinde crimen nobis hoc Testamento imponitur, quod per dexterá Dei

intelligamus definitum cœli locum, absque vllo testimonio scripturarum, erroneæ & damnatæ, &c. Ad hác igitur criminationem respondemus nomen dexteræ Dei plura significare in sacris literis, primum enim virtutem & potentiam Dei significat, atq; æqualitatem honoris, maiestatis & gloriæ, veluti Psalm. 18. 44. 110. Ephes. 1. Et iuxta hunc sensum Christus sedet ad dexteram Dei, id est eiusdem est potentiæ & virtutis, honoris, gloriæ & maiestatis cum Deo patre. Actorum 2. Hebr. 2.

Quoniam vero Christus in exaltatione sua & sessione ad dexteram Dei patris, humanam natu rá non deposuit, vt illa deificaretur, hoc est transmutaretur in diuinam naturam: quoniam etiam in maiestate sua subinde filius hominis nominatur: ideo alia significatione dextera Dei nominatur locus quietis & felicitatis in cœlis: atque in hoc sensu quibusdam in locis scripturarum dexteræ additur nomen cœli, & in alto vel in excelso, quæ omnino certi definitique loci sunt nomina. Ita nanque de D. Stephano scriptum est. Quum autem esset plenus Spiritu sancto intentis in cœlum oculis vidit gloriam Dei, & Iesum adstantem ad dexteram Dei. Et ait, Ecce conspicio cœlos apertos, & Filium hominis adstantem ad dexteram Dei. Diserte hic nominatur dextera Dei, & Filius hominis in gloria sua,

Dextera Dei locus beatitudinis.

AA. 7.

ria sua, qui non vbique stat sed ad dexteram Dei. Stephanus enim intentis sursum in cœlum oculis aspicit, & cœlum aperitur, vt Iesum in cœlis ad dexterã Dei cernat. Ex his necessario conficitur dexteram Dei nomen esse loci in cœlis: nam si vbiq; & non in cœlo tantum esset Stephanum vndiquaq; circumspicere, non oculos tantum in cœlum intendere oportuisset: neq; etiam necesse fuisset cœlum aperiri vt Dominũ ad dexteram cerneret, si dextera Dei non esset locus cœli. In eandem sententiam de Christo D. Petrus scribit, Qui est ad dexteram Dei, profectus in cœlum, subiectis ipsi Angelis & potestatibus & virtutibus. Quibus verbis ostenditur Domino in exaltatione omnia subiecta esse, nihilominus tamen dexteram Dei in cœlis esse, in quos Dominus corporaliter ascendit. Paulus quoque Filium Dei inquit consedisse ad dexteram maiestatis in excelsis: nominatim in Excelsis inquit. Et alibi, Si resurrexistis cum Christo, superna quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Superna curate non terrestria. Item, Christus ad dexteram throni Dei consedit. Porro quis sit Dei thronus Christus ipse in euangelio docet, his verbis, Ne iuretis omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei est.

1. Pet. 3.

Heb. 1.

Coloss. 3.

Heb. 12.

Matth. 5.

Hęc testimonia scripturæ non corrumpimus, aut contra sententiam veteris ecclesiæ citamus,

Quid ueteres per dexterã Dei intellexerint

sum & illa per dexteram Dei intellexerit, primum quidem parem potentiam & maiestatem: deinde etiam propter veritatem humani corporis in Christo, certum & definitum locum: Huius sententiæ aperta testimonia habentur apud Cyprianum in Expositione symboli : apud Augustinum in libris De fide & symbolo, cap. 7. De agone Christi cap. 26. Epistola 122. ad Consentium : item epist. 27. & 146. apud Theodoretum lib. 2. dialogorum. Alibi etiam plura testimonia à nobis adducta sunt, verum nunc breuitati studemus, ac speramus ex his à quibusuis facile innocentiam nostram posse cognosci, nempe dogma nostrum, Dei dexteram esse definitum locum, non esse à nobis absq; vllis testimonijs scripturarum confictum erroneum & damnandum, ideoque crimen quod Testamentum illud nobis intendit non modo nullo fundamento niti, sed vna nobiscum quoque veterem orthodoxam ecclesiam damnari.

De omnipotentia Dei.

ALia & vehementior accusatio est huius Testamenti, qua nos reos peragit quod sentiamus, neq; Dei omnipotentia neq; vlla alia vi & potentia effici posse, vt corpus Christi simul duobus aut pluribus aut etiam omnibus in locis præsens sit. Accusamur autem quod certo nouimus, & contra omnem æquitatem publice in-

simula-

ſimulamur, quod omnipotentiam Dei abnegemus, & Deum ſua potentia ſpoliemus, ac ex Chriſto faciamus hominem impotentem: cum tamen firmiter retineamus articulum fidei, Credo in Deum patrem omnipotentem: & Deo ſuum honorem integrum tribuamus, confitentes ipſum eſſe omnipotentem, qui cuncta efficere poſsit quæ voluerit, nulla re excepta. Confitemur Deum eſſe omnipotentem.

Porro Dei omnipotentia olim hæretici turpiter abuſi ſunt, veluti Praxeas qui argumentabatur, Deo omnia ſunt poſsibilia, igitur Pater cruci fixus eſt, &c. Cui Tertullianus reſpondet, non eſſe quiduis ex omnipotentia Dei concludendum, ac ſi Deus omnia faceret quæ poſſet. Sed ex voluntate Dei concludendum eſſe, hoc Deus vult, ergo etiam poteſt. Quod enim non vult, etiam non poteſt: non tamen quod non poſsit ſi velit: Itaque Dei velle etiam poſſe eſt, & non velle eſt non poſſe. Similiter etiam Theodoretus Dialogo tertio ſcribit, Deo id eſſe impoſsibile, quod ipſius verbo naturæ ac voluntati repugnat. Potentia ſequitur ex voluntate Dei.

Quamobrem non noſtram ſententiam de Dei omnipotentia proferimus, ſed idē dicimus quod Patres olim docuerunt: neq; etiam nobis de omnipotentia Dei cum quoquam controuerſia eſt, quam ingenue profitemur, tantū de hoc quæſtio eſt, An Deus omnipotentia ſua efficiat ea quæ naturę illius & verbo ac voluntati contraria ſunt.

Scripturæ igitur sic nos de hac re docent, vt nominatim commemorent nonnulla quæ Deo sint impossibilia, veluti, peccare, mori, mutari, mendacem & inconstantem esse, seipsum negare seu mendacij arguere, & alia huius generis. Verum hac ratione omnipotentia Dei non infirmatur, aut negatur, vel contumelia afficitur: Deus enim nihilominus est omnipotens, etiamsi ea quę voluntati eius repugnant & iniusta sunt non faciat. Quæcunque enim Dei naturæ & voluntati in verbo ipsius patefactæ repugnant, hæc non faciunt ad potentiam eius & gloriam, sed contra essent indicia impotentiæ & ignominiæ, vt ex his appareat quæ commemorauimus: itaque fideles hæc nullo modo Deo tribuunt: neque Dei potentia & gloria his eget, in quibus reuera nulla est potentia & gloria. In hanc autem sententiam etiam de Dei omnipotentia docuerunt Augustinus de Ciuitate Dei lib. 5. cap. 10. Et Theophilactus in Marcum cap. 10. Quare denuo scripturis & testimonijs veteris ecclesiæ euicimus, nostram doctrinam de Dei omnipotentia, non esse (vti accusatur) à nobis absq; testimonio scripturarum confictam, nouam & hactenus inauditam, erroneam atq; damnatam.

Corpus Christi non esse vbiq., sed in vno Cœli loco.

Dein-

DEinceps nobis expendendum est an corpus Domini nostri Iesu Christi quod ex beata virgine assumpsit, in gloria & exaltatione sua ad dexteram Dei, per Dei omnipotentiam ita deificatum sit, vt non amplius iuxta naturam humanorum corporum in vno loco sit, sed simul in multis locis & vbiq;, seu vndiq; in cœlo & in terris existat: An inquam hæc sit voluntas Dei verbo ipsius patefacta, vt verum corpus Christi non circumscribatur aliquo cœli loco, sed vbique sit. Etenim nisi ostendatur hanc esse Dei voluntatem verbo eius expressam, quod Christi corpus omni circumscriptione careat, & vbiquetarium factum sit, frustra Dei omnipotentia prætenditur, vt quæ hic nihil probare possit.

Corpus Christi ante resurrectionē non fuit ubiq;.

Ante resurrectionem igitur & exaltationem Christi, non est dubium corpus ipsius non fuisse vbiq;, sicut & ipsemet aperte hoc testatur Ioannis 11. quare à tempore resurrectionis nostram demonstrationem inchoabimus. Cum igitur Dominus è sepulchro & à mortuis surrexisset, illo ipso corpore quo crucifixus fuerat, mulieribus fidelibus ipsum quærentibus, ab Angelo dicitur, Iesum illum Nazarenum quæritis, qui fuit crucifixus: resurrexit, non est hic: ecce locus vbi posuerant eum. Ex hoc Angeli testimonio discimus corpus Christi post resurrectionē nō fuisse vbiq: alias enim eo sepulchri loco fuisset, in quo ipsum

Post resurrectionem quoq; non esse ubiq;.

Marc. 16.

mulieres querebant: sed angelus aliter asserit, Resurrexit inquit, & non est hic. Rursus die paschatis quum ad discipulos veniisset, Lucæ 24. & illi putarent se spiritum conspicere, ostendens illis manus & pedes ait, Quare huiusmodi discceptationes subeunt corda vestra, ego ipse sum, contrectate me & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere. Est autem obseruandum quod Dominus ipse corpus suum non spiritum sed carnem & ossa nominat, & ait illud visibile & contrectabile esse.

Demonstratio ueri & circumscripti corporis.

Thomas Christum tangit. Ioan. 20.

Cum vero Thomas huic demonstrationi non interfuisset, & cæteri discipuli commemorarent se Dominum corpore suo quo à mortuis resurrexisse vidisse, respondit ille, Nisi videro in manibus eius vestigium clauorum, & immisero manum meam lateri eius nequaquam credam. Octo igitur post diebus benignus & clemens Dominus rursus ad discipulos veniens, & Thomam nominatim vocans, ait illi, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & profer manum tuam & immitte lateri meo, & ne esto incredulus sed credens. Atque addit, Beati qui non viderunt & crediderunt. Quid crediderunt? Dominum vere proprio veroque corpore, non mutato in spiritum aut annihilato, à mortuis resurrexisse. Quare necessario conficitur hanc esse veram fidem, si credamus, Dominum post resurrectio-

rectionem ſuam verum corpus ſeruare, in ſua natura, proprietate, & membrorum dimenſione, &c. vnde etiam ſequitur corpus Chriſti finitum eſſe & circumſcriptũ, non in plura loca aut vbique diffuſum.

Pari modo aſcenſione Chriſti in cœlos corpus eius non eſt mutatum in ſpiritum aut vbiquetarium factum, ſed proprietatem & membra atq; dimenſionem veri corporis ſeruat, ſicuti ſuperius ex verbo Dei de aſcenſione clare oſtendimus. Verum quod quidã opinantur & aſſerunt, exaltatione & ſeſsione in throno maieſtatis Dei vbiquetarium factum eſſe, falſa opinio eſt, & error dudum damnatus. Adhęc Dominus ipſe in Euangelio inquit, Dico vobis ab hoc tempore videbitis Filiũ hominis ſedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venientẽ in nubibus cœli. Matt. 24. & 26. Item in Apocalypſi primo capite ſcribitur, Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt. Similia Ioannes Euangelij ſui 19. capite è Zacharia propheta affert. Porro nomine Filij hominis omnes orthodoxi non alium intelligunt quam dominũ noſtrũ qui veram naturã humanã etiam in gloria ſeruat, & eandẽ in extremo iudicio vniuerſis hominibus oſtẽdet. Verba ipſa perſpicua & vehemẽtia ſunt, Filium ſcilicet hominis ſedere ad dexterã potentię Dei: Filiũ hominis venturũ in nubibus cœli,

Corpus Chriſti aſcenſione & ſeſsione ad dexterã non eſt factum vbiquetarium.

omnem oculum visurũ esse ipsum: hunc inquam qui confossus & transfixus fuit, quod est verum & circumscriptum Christi corpus.

Paulus etiam ad Philippenses ea scribit quæ satis sunt ad hanc controuersiam tollendam & explicandam, patria aut ciuitas nostra est in cœlis, vnde etiam seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum. Qui transformabit corpus nostrum humile, vt conforme fiat corpori suo glorioso, pro efficacitate qua potest etiam subijcere sibi omnia. In hoc præclaro Apostoli testimonio primum indicatur locus patriæ seu habitationis nostræ in beatitudine, non vbique sed superne in cœlis, in eo autem cœlo in quo etiam Christus Seruator noster est, & vnde eum expectamus venturum ad iudicium. Secundo tempus liberationis & glorificationis nostræ definitur, nempe aduentus Domini ad iudicium. Tertio breuiter describitur totum negotium gloriæ & clarificationis nostrorum corporum, & huius modus ac ratio. Vtitur autem hic verbo transformandi μετασχηματίσει inquit, corpus nostrum humile miserum & ægritudinibus obnoxium: conforme etiam inquit σύμμορφον corpori suo glorioso τῇ δόξῃ αὐτοῦ, gloriæ & claritati suæ. Ex his autem verbis hæc discenda nobis sunt. Primum, corpora nostra misera transformanda esse; ita vt conformia fiant glorioso

Locus patriæ nostræ

Tempus nostræ glorificationis

Modus & ratio glorificationis nostrorum corporum.

glorioſo corpori Chriſti. Secundo in Chriſti corpore clare cernimus qualis ſit futura noſtra glorificatio, nempe ſimilis glorificationi Chriſti, ſed tamen (vt veteres quoq; dixere) definito modo, quantum ad nos. 1. Cor. 15. Alioquin gloria Chriſti vt filij Dei, ineffabilis eſt, ac glorioſa ſupra omne nomen. Tertiò glorificatio noſtra hac ratione perficitur, vt quicquid in corpore noſtro debile eſt glorioſum fiat. Paulus hoc negotium 1. Cor. 15. eleganti antitheſi illuſtrat, opponit enim corruptioni obnoxio corpori, incorruptum corpus, ignominiæ, gloriam, infirmitati potentiam, corpori animali ſpirituale corpus, & terreno cœleſte. Et ſi autem ſumma diligentia diſcrimina humilis & glorioſi corporis ab Apoſtolo commemorantur, nuſquam tamẽ definito & circumſcripto corpori vbiquetarium opponit, ac glorioſo corpori tribuit quod vbiq; ſit. Etenim in glorificatione noſtra quæ extremi iudicij die futura eſt, corpora noſtra ſuam ſubſtantiam, carnem & oſſa & horum proprietatem atque formam non perdent, ea duntaxat à vero corpore auferentur quæ ex peccato ſunt, nempe quod morti, infirmitati, ægritudini, corruptioni, & turpitudini obnoxium eſt. Subſtantia hominis & proprietas & membrorum dimenſio atque conformatio fuerũt in homine antequam in peccatum laberetur, per peccatum verò morti & varijs in-

firmitatibus obnoxia reddita sunt quare auferen tur à corpore huiusmodi infirmitates, ipsa tamen substantia corporis manebit, erit autem illustris, clara, pulchra, potens, libera ab omni infirmitate & turpitudine, non tamen spiritus absq; carne & ossibus, non corpus incomprehensibile & inuisibile, quod lapides & ferrum penetret, atque in pluribus simul locis existat, incircumscritumue aut vbique sit. Omnia verò hæc confirmantur etiam articulo fidei nostræ, quo profitemur nos credere resurrectionem corporis huius, siue carnis.

Quamobrem ex his quæ expositasunt concludimus, quandoquidem nostra corpora siue caro nostra à mortuis vere resurget, ita vt integrum nostrum corpus cum omnibus suis membris certo definitoque loco non vbique futurum sit: nostra vero hæc corpora conformia erunt glorioso corpori Christi, vt ex Paulo apparuit, necessario etiam corpus Christi in gloria non vbique, sed finitum atque circumscriptum esse. Recte autem à corpore nostro argumẽtamur de corpore Christi, & è conuerso à corpore Christi de nostro: eadem enim ratiocinatione Paulus quoque vsus est 1. Cor. 15.

Doctrina veteris Ecclesiæ de hac re.

Porrò quæ hactenus protulimus de natura & proprietate glorificatorum corporum, & de resurrectione à mortuis, ea non nos cõfinximus,

sed

sed ex testimonijs scripturæ & doctrina veteris ecclesiæ depromsimus, id autem si qui certius cognoscere desiderant legant Tertullianum De carne Christi, &c. De resurrectione carnis: Cyprianum in Expositione symboli, articulo, Credo resurrectionem carnis. Hieronymum ad Pammachium contra Ioannem Hierosolymitanum, qui sectabatur Origenis errorem, nempe corpora glorificata fieri (sicuti etiam nostra ætate quidam docere incipiunt) subtilia, inuisibilia & incomprehensibilia. Legantur etiam ea quæ scribit D. Augustinus libro de Ciuitate Dei 13. cap. 17. 22. & lib. 22. cap. 21. & De fide & symbolo. Item quæ Cyrillus habet in Ioannem libro 11. cap. 57. 58. 59. &c.

Præterea nostram doctrinam qua asserimus corpus Christi in gloria non vbique sed in cœlo esse, loco, beatitudini perpetuæ diuinitus destinato, confirmat etiam Theodoretus Dialogo 2. contra hæreticos: & beatus martyr Vigilius Tridentinus episcopus lib. 4. contra Eutychianos, inter alia ita scribens, Diuersum est autem & longe dissimile circumscribi loco, & vbique esse: & quia verbum vbique est, caro autem eius vbique non est. Ac paulo post addit, Hæc est fides & confessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vsq; custodiũt. Etsi autem duo hæc testimonia ordine producta

noſtræ doctrinæ confirmandæ ſufficiunt, addemus tamen etiam tertiũ ex epiſtola 57. D. Auguſtini ad Dardanum: vt iuxta verbum Domini in ore duorum aut trium teſtium omnis controuerſia conſiſtat. Sunt autẽ hæc D. Auguſtini verba.

Noli itaque dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Ieſum, vnde venturus eſt, memoriterque recole & fideliter tene Chriſtianam confeſſionem: quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dextram patris, nec aliunde quàm inde venturus eſt ad viuos mortuoſque iudicandos. Et ſic vẽturus eſt illa angelica voce teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in cœlum, id eſt in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profecto immortalitatẽ dedit, naturam nõ abſtulit. Secundum hanc formam non eſt putandus vbique diffuſus. Cauendum eſt enim ne ita diuinitatem adſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus. Nam & de nobis veriſsima ſcriptura dicit, quod in illo viuimus mouemur & ſumus, nec tamen ſicut ille vbique ſumus: ſed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine proprio quodam & ſingulari modo. Vna enim perſona Deus & homo eſt, & vtrumque eſt vnus Chriſtus Ieſus, vbique per id quod Deus eſt, in cœlo autem per id quod homo. Atque hactenus Auguſtinus.

Teſti-

Teſtimonium hoc ideo verbotim adſcripſi vt eunctis manifeſtum ſit D. Auguſtinum non ſuam ipſius tantum ſententiam commemorare, ſed totius catholicæ eccleſiæ, qualis tum temporis & ab initio vſque in illa recepta & approbata fuit. Quare etiam cuiuis hinc perſpecta eſſe poteſt noſtra innocentia, & quam iniquiſsime Brentij teſtamento accuſemur, quod hanc doctrinam confinxerimus abſque teſtimonijs ſcripturarum & contra ſententiam veteris & orthodoxæ eccleſiæ: ideoque illam erroneam & damnatam eſſe. Nam cum veris teſtimonijs oſtenderimus non eſſe hanc Dei voluntatem, vt aſſumptum corpus à filio Dei exaltato ad dextram Patris, pluribus locis aut vbique ſit, ſimul etiam apparet omnipotentiam Dei contra eius rectum vſum nobis obijci: ideoque nihil hinc confici poſſe. Verum autem perpetuoque firmum eſt Chriſtum dominum iuxta diuinam naturam vbique eſſe, ſed iuxta humanam naturam non eſſe vbique, ſed ſuperne in cœlis loco beatitudinis præparato à Deo electis ſuis, quo & nos ad ipſum peruenturos ſperamus.

De perſonali vnione diuinæ & humanæ naturæ in domino noſtro Ieſu Chriſto.

ACcedimus nunc ad aliud caput Teſtamenti Brentiani, quo dicitur noſtram doctrinam de vero corpore Chriſti, cõtumelioſam ſeu

blaſphemam item & repugnare ſanæ doctrinæ de perſonali vnione duarum naturarum in Chriſto, diuinæ & humanæ, ac maieſtati & gloriæ qua exaltatus eſt ſupra omne nomen, vt coram ipſo flectatur omne genu, in cœlo & in terra & ſub terris. Euerti item à nobis & corrumpi maieſtatem humanæ naturæ, qua propter perſonalem vnionem Dei & hominis donata atq; ornata eſt.

Confeſsio noſtra de perſonali vnione utri⁹q; naturæ in Chriſto.

Verum nos vt antehac ſemper ita nunc quoque vere & ſimpliciter profitemur, nos nunquã aliter docuiſſe aut docere de perſonali vnione duarum naturarum in Chriſto, quàm ſacræ literæ docent, & vetus eccleſia, cuius ſentẽtia in ſymbolo Athanaſij his verbis expreſſa eſt. Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt incarnationẽ quoque domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat. Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quod dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, & Deus & homo eſt: Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Aequalis patri ſecundum diuinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem. Qui licet Deus ſit & homo, non duo tamen ſed vnus eſt Chriſtus: vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum: vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ

Symbolũ Athanaſij.

ſtantiæ, ſed vnitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Atque hæc eſt catholica confeſsio Chriſtianæ fidei ſymbolo Athanaſij comprehenſa. Nos quoque ſic docemus, & ſic etiam ore cordeque credimus, neque præter hanc vllam aliam doctrinam de perſonali vnione habemus, quam tamen Teſtamentum hoc temere & abſque vlla noſtra culpa damnat, & veritati contrariam atque blaſphemam eſſe calumniatur.

Cæterum verba D. Ioannis, Verbum caro factum eſt, hoc eſt Deus homo factus eſt, aliter accipienda ſunt quam id quod in eodem Euangelio ſcribitur aquam in nuptijs in Cana Galileę vinum factam eſſe: non enim ſimul aqua fuit & vinum, ſed vinum duntaxat non autem amplius aqua fuit, Quare interpretatio verborum Ioannis è D. Paulo petenda eſt, qui ſcribit, Deum formam ſerui accepiſſe, & hominibus ſimilem factum eſſe. Item, non Angelos aſſumpſiſſe ſed ſemen Abrahæ. Manifeſtum autem eſt id quod aſſumitur, ab aſſumente relinqui in ſua natura non aboleri & annihilari. Ideoq; de Chriſto credimus ipſum æternum, immortalem, omnipotentem, & vbique præſentem eſſe: & eundem rurſus temporis initium habere, mortique & infirmitati obnoxium fuiſſe, vno etiam in loco & non vbique eſſe. Nam iuxta diuinam naturam æternus &

Verbū caro factū eſt. Ioan. 1.

Philip. 2.

Heb 2.

& omnipotens est, iuxta humanam mortalis finitus & circumscriptibilis neq; vbiq; præsens est.

Distinctione duarum naturarū in Christo nō solus aut diuidi vnicam ipsius personā.

Nestorius diuidebat personam Christi.

CVm asserimus Christum secundum diuinitatem vbique esse, & eundem non esse vbique secundum humanitatē, accusamur quod cum Nestorio personam Christi diuidamus, ex vno duos Christos faciamus: vnum qui vbique pręsens sit, & alterum qui tantum in cœlo & non vbique præsens sit: hac autem ratione vnicam Christi personam solui & diuidi.

Vbiq; esse diuinæ naturæ proprium est.

Verum nobis videtur personam Christi magis solui & diuidi, si dicamus corpus eius vnionis gratia vbique esse: nam nullo loco circumscribi sed vbique præsentem esse, diuinæ tantum maiestati proprium est, neque vllum verum corpus humanum, aut vlla res alia præter Deum vbique esse potest. Quare si etiam corpus Christi vbique foret, non amplius esset verum humanū corpus: atq; ita vnica persona Christi, qui verus Deus & homo est, solueretur: si enim secundum humanā quoque naturam vbiq; foret, iam Deus duntaxat esset, & non amplius verus homo.

Persona distinctione naturarum non diuidi fuit.

Num vero credendum est angelos quoque diuisisse personam Christi, dicentes. Christi corpus resurrexisse & non esse in sepulchro: item ipsum non hic esse sed in cœlos ascendisse? Imo Domi-

Dominus ipſe qui dixit. Pauperes ſemper vobiſcum habebitis, me autem non ſemper habebitis? An verò dicemus perſonam Chriſti diuiſam eſſe & tres Chriſtos fuiſſe, quando corpus eius iacuit in ſepulchro, anima deſcendit ad inferos, diuinitas verò vbique fuit? Manifeſtum eſt nanque animam Chriſti triduo à corpore fuiſſe ſeparatam, & animam atque corpus non vbique fuiſſe vt diuinitas fuit: neque tamen propterea diuinitas animam aut corpus deſeruit, neq; hæc à diuinitate ſeparata fuerunt, ſed vnus Chriſtus Deus & homo indiuiſus manſit. Eadem autem ratio eſt quando dicimus corpus Chriſti nō eſſe vbique, quoniam vtraque natura in hac vnione ſuas proprietates ſeruat.

Doctrina hac

Eutychiani olim orthodoxos qui naturas in Chriſto diſtinguebant, & dicebant Chriſtum ſecundum diuinitatem eſſe vbique, ſecundum humanitatem verò non eſſe vbique, criminabantur, & Neſtorianos vocabant qui perſonam Chriſti diuiderent: ipſi nanque docebant, poſt vnionem, aut poſt reſurrectionem & aſcenſionē Chriſti, corpus eius in gloria diuinitati conforme factum eſſe, ideoque ſicut & diuinitas vbique eſſe. Horum igitur criminationē refutat beatus martyr Vigilius lib. 1. contra hæreſes, & ſacræ triadis meminit in qua ſunt tres diſtinctæ perſonæ, & tamen non tres dij ſed vnus tantum Deus: inter

cætera autem sic scribit, Si igitur hæ tres personæ habentes singulæ proprietates suas, quibus significantius distinguantur non quibus separentur, vnus est Deus, quomodo filius salua vtriusque naturæ proprietate, non vnus est Christus? Adducit deinde simile animæ & corporis, quæ ambo suas proprietates seruant, & tamen vnus tantum est homo non duo. Similia etiam docet Theodoretus libro 3. dialogo: aduersus hæreses: quæ nunc commemorare longum esset. In summa tamen, hinc diuinis & humanis testimonijs constat, nos propterea non diuidere personam Christi, & ex vno duos Christos facere, propterea quod retinemus distinctionem naturarum in Christo: qua de re alibi plura & exactiora protulimus.

De maiestate & gloria Christi.

Maiestas Dei Deus ipse.

POrrò quod maiestatem & gloriam Domini nostri Iesu Christi attinet, docemus eodem modo quo multi quoque ante nos pie rectéq; docuerunt, maiestatis & gloriæ nomen aliquando pro ipsa Deitate glorioſa accipi: quemadmodum vulgo dicitur, diuina Maiestas. Hæc maiestas in ipsa statim incarnatione humanæ naturæ vinculo indissolubili vnita est, neq; hæc maiestas noua quędam & creata diuinitas est, sed vnica essentialis & æterna diuinitas, quæ humanam naturam suscepit & se illi coniunxit, non exæquatione aut com-

commixtione, sed vnione duarum naturarum in vnam personam: vt supra satis ostendimus.

Verum alterius quoque gloriæ in scripturis mentio fit quam Dominus non semper habuit, veluti tempore exinanitionis suæ: huius mentio fit in Euangelio vbi Christus orat Patrem vt se clarificet, & eiusdem meminit D. Augustinus in Ioannem Tractatu 104. Initium autem accepit hæc gloria & maiestas Christi à resurrectione ipsius: nam ante resurrectionem in statu exinanitionis, Dominus, qui tamen semper verus Deus erat, seipsum humiliauit ad mortem vsque, contumelias & iniurias pertulit, & ignominiosam mortem in cruce: neque in humiliatione ista habitus fuit is qui & qualis erat. Postquam verò in hac humiliatione & exinanitione sua mundum redemit, gloriam suam (quam hactenus aliquo modo tantum vt Ioannis 2. cap. Matthei 17. cap. miraculis & illustri patefactione exeruerat) singulari & eximia ratione declarauit, resurrectione sua, ascensione in cœlos, & sessione ad dexteram Dei, partim etiam magnifica glorificatione sui corporis: item quod pater variis rationibus declarauit hunc, non tantum hominem, sed etiam verum Deum esse, qualem tamen hactenus mundus propter exinanitionem & humilitatē sui non agnouerat. Deus enim filio hominis omnem diuinam gloriā & maiestatem

Maiestas quam dominus non semper habuit.

meo vniuersa dedit quorum humana natura absque sui abolitione & corruptione capax est. De hac singulari & eximia gloria Paulus disserit, hác etiam nos ex animo agnoscimus & confitemur, & Dominum Iesum verum Deum & hominem ad dexteram Dei adoramus. Verba autem Apostoli quibus hanc gloriam prædicat ista sunt. Ipse se summisit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donauit ei nomen quod est supra omne nomen: vt ad nomen Iesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & subterraneorum: omnisque lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum ad gloriam Dei patris. Non igitur nos negamus (vti immerito & iniuste insimulamur atque aceusamur) Christo omnem potestatem in cœlo & in terra datam esse, & ipsum iuxta vtranque naturam mundum gubernare, & nos redimere atque iustificare, item carnem eius esse vi uificatricem, & cum verbo cui humana natura in vnam personam inseparabiliter vnita est, vna eademque adoratione esse adorandam. Hæc enim omnia libere & ex animo confitemur, quem admodum etiam orthodoxi Patres Christianæ ecclesiæ, à qua nullo pacto nos separamus, cuncta hæc ante nos confessi sunt, & scriptis suis confirmarunt, quos in hac causa sequimur, neque quic-

quicquam ipsi innouamus aut ab alijs innouatum approbamus.

Conclusio huius controuersiæ de personali vnione diuinæ & humanæ naturæ in vna indiuisaque Christi persona.

IN summa verò de vnione duarum naturarum in vna & indiuisa persona & de maiestate atque gloria Domini nostri Iesu Christi, prorsus ita sentimus quemadmodum ex verbo Dei definijt & sensit vetus ecclesia, cuius 636. clari & principui ministri tempore Martiani imperatoris Chalcedone contra Eutychem conuenere, & ita statuerunt.

Decretum Chalcedonensis concilij.

Sanctos itaque Patres sequentes, vnum & eundem confitemur filium Dominum nostrum Iesum Christum, & concorditer docemus omnes: perfectum in diuinitate, & eundem perfectū in humanitate: verum Deum & verum hominē, eundem ex rationali anima & corpore: coessentialem Patri secundum diuinitatem, & coassentialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem, dempto peccato: ante secula genitum ex Patre secundum diuinitatem, postremis verò diebus propter nos & propter nostram salutem, ex Maria virgine & deipara, secundum humanitatem: vnum & eundem Iesum Christū filium Dei Dominum & vnigenitum in duabus naturis, inconfuse, inconuertibiliter, indiuulse &

inseparabiliter manifestatum : haudquaquam differentia naturarum propter vnitatem sublata, sed magis vtriusque naturæ (in vnam personam & vnam hypostasim concurrentis) pro prietate seruata ; non vt in duas personas bipartiatur aut diuidatur, sed vt sit vnus & idem filius vnigenitus, Deus verbum & Dominus noster Iesus Christus : sicut de illo olim Prophetæ vaticinati sunt, & ipse nos Christus instruxit, ac Patrum nostrorum symbolum tradidit. Hisce itaque à nobis cum omni diligentia & cura expressis, determinauit sancta œcumenica synodus, nemini licere aliam fidem adferre, aut conscribere, aut componere, vel sentire, vel docere alios.

Nota.

Cuncta autem quæ hoc decreto continentur ex animo profitemur, neque id in falso & peregrino sensu, sed vt verba sonant, vt illa interpretatus est beatus Vigilius, & Theodoretus qui & ipse concilio magna cum laude interfuit.

Æquæ defensio.

Quoniam verò hæc reipsa sic se habent, honestius abstinuisset Testamentum hoc, acerbissima illa criminatione, qua doctrinam nostram calumniatur contrariam esse, sanæ doctrinæ de vnione personali & gloria ac maiestate Domini nostri Iesu Christi, quam à nobis inquit euerti & corrumpi. Etenim Dei beneficio rem aliter se habere manifestum est : quare etiam intoleranda

leranda hæc conuicia & calumnias æquo iudici committimus. Interea cunctos rogamus vt diligenter expendant, cum scripturæ sanctæ & orthodoxorum patrum testimonijs manifestè demonstratum sit, corpus Domini nostri Iesu Christi etiam in gloria non esse vbique, an non sit temeraria & confidens arrogantia, atque pertinax litigandi studium, nihilominus prædicare vbiquitatem corporis Christi, & eam colore diuinæ maiestatis fucare, quasi vera maiestas Christi nunquam hactenus vere in ecclesia agnita fuerit, aut illi attributa, nisi nostra demum ætate qua Vbiquetarij ingens hoc mysterium in lucem protulerunt. Sed hæc prudentum iudicio relinquimus.

An doctrina nostra in ecclesia nullũ locum habere debeat.

Doctrinam nostram ab ab initio in orthodoxa ueteri ecclesia locum habuisse.

ANxie præterea sollicitum est Testamentum illud Brentianum, ne cõmemorata Zuinglianorũ doctrina forte in ecclesia superet, id enim si fiat iræ diuinæ & hominũ ingratitudini adscribit. Verũ cui quæso hoc ascribet, quod illa ipsa doctrina, quæ testamento hoc adeo vehementer proscinditur, in veteri & orthodoxa ecclesia ab Apostolorum vsque ætate recepta fuit, cui vbiquitas & deificatio corporis Christi in gloria, quá Testamentũ hoc nobis titulo diuinæ maiestatis obtrudere conatur, prorsus incognita fuit

nisi quatenus Eutychiani Timotheani & Acephali & nonnulli alij hæreticorum hæc in disceptationem vocarunt. Nostra quoque ætate non ita multæ sunt ecclesiæ & gentes quæ hanc vbiquitatem defendant, quantumuis multa de illa Testamentum hoc intonet, Dei enim beneficio maior pars veterem & orthodoxam sententiam retinet, quam nos quoque seruamus, quæ naturas in Christo diuinam & humanam non confundit, aut abolet & nuda tantum nomina relinquit.

De Arianis, & homicidij atque mendacij spiritu.

on esse os Arianos.

COnferimur Ario veteri hæretico, sed iniuria apud simplices quasi Ariani simus in suspitionem & odium vocamur: non enim Ariani sumus, neque quicquam nobis cum eius blasphema doctrina commune est, neque vnquam in æternum Deo volente erit. Cæterùm scripta à nobis in publicum edita, reliqui labores nostri, quotidianæ conciones, & nostrarum atque exterarum ecclesiarum testimonia, aperte probant nos (quod absque arrogantia dictum sit) plus alijs aduersus Arianos & alios hæreticos certasse. Quid igitur ad nos quod Ariani quidam imperatores & Reges orthodoxos grauissima tyranni de oppresserunt? Quo denique iure nobis imputatur aliorum culpa, cũ quibus nihil nobis commune

mune est? Notũ est ex historijs Eutychianos frequentem Synodum Ephesi conuocasse quæ λῃστὶς nominata est, in qua probarunt illam doctrinã quam postea orthodoxa ecclesia verbi Dei testimonio confutauit, scilicet Dominum nostrum Iesum Christum in adunatione & post ascensionem in cœlos, in gloria deificatum non amplius retinere humanæ naturæ proprietates: cum autẽ in illa D. Flauianus Constantinopolitanus Episcopus solidis ac firmis testimonijs (quarum non nulla hodie quoq; extãt in epist. Flauiani ad Leonem, & altera Leonis ad Flauianum) eos oppugnaret, à Dioscoro episcopo Cõcilio electus fuit, pugnis contusus & calcibus impetitus, vt breui post moreretur. Si igitur parem crudelitatem aduersarijs nostris ascribamus, qui tamen longe similiores sunt Eutychianis quam nos Arrianis, à quibus prorsus alieni sumus, num id æquo animo ferent? Quod si simplices Christianos prætextu & titulo Zuingliani erroris (vt Testamento hoc continetur) nõ licet ferro persequi, sed ipsos duntaxat Zuinglianos, hoc est nos persequi & opprimere oportet: facile apparet quibus crimen hoc conueniat quod nobis impingitur.

Aduersarios nostros nunquam persecuti sumus.

Nunquam vero vllos fideles odio prosequuti sumus, aut illis vim & iniuriam aliquam intulimus, multo minus ferro eos persequi & delere conati sumus: testis huius rei idoneus est Brentius

ipſe,qui cum acerbiſsime aduerſus Dominũ Oecolampadium in ſuo Antiſyngrammate ſcripſerit,& multa alia contra noſtram doctrinam inhumaniter fecerit,nunquam tamen propterea læſus eſt,ſed cum bello Germanico domo cedere coactus fuiſſet,neque poſſet amplius propter Hiſpanos in eccleſia ſua ſubſiſtere, Baſileam venit, & ibi humaniter atq; honorifice exceptus & à nemine iniuria affectus aliquandiu vixit. Ad nos quoq; nonnulli venere quos non ignorabamus antea immodeſte admodum nos hęreticos,Sueuicos,Sacramentarios, & neſcio quid non nuncupaſſe,cum autem poſſemus illis par pari rependere nequaquá id fecimus,neq; vel minima in re illos læſimus,ſed eos humaniter & amice tractãtes,amica quedam colloquia cũ illis inſtituimus, quibus etiam effectum fuit vt ſeipſos melius noſcerent.Porro quod nonnulli vt Seruetus,Gentilis, & quidam Anabaptiſtæ poſt multas admonitiones & longam experientiam capite mulctati ſunt,iure diuino & Cęſareo comprobatur,cuius ſententia talis in illos lata ſit propter horrendas & inauditas blaſphemias, flagitia & facinora,per iuria atq; ſeditiones: quare non arbitramur nos propterea vllius crudelitatis accuſari poſſe, aut quenquam eſſe qui tantas blaſphemias & flagitia tueatur & impunita eſſe velit.

Præterea apud nos Tiguri colloquia aliquot habita

habita ſunt,& Bernæ celebris diſputatio, in quibus noſtra doctrina, quæ Teſtamento hoc tam contumelioſe proſcinditur,comprobata eſt,neq; vlla contumelia affecti ſunt illi qui in his diſputationibus acerrime doctrinam noſtram oppugnarunt.Hodie quoq; nulla vis affertur cuiquam ad nos venienti,etiamſi à noſtra doctrina diſſentiat. Libri etiam aduerſariorum noſtrorum publice & palam apud nos venduntur atq; leguntur, imo hortamur noſtros vt eos legant, nam quia veritati certæ confidimus, non timemus aduerſariorum ſcripta. Verum quid nobiſcum & cum noſtris libris agatur : vt nullum defendendi noſtri locum habeamus,& lectione librorũ noſtrorum omnibus interdicatur, nihilominus tamen inaudita cauſa damnemur, quomodo item principes & ciuitates contra nos iniuſte & immerito concitentur,manifeſtius eſt,quam vt longa oratione opus ſit,quare idipſum committimus Deo & tempori,&c.

Quare multo ſatius fuiſſet Teſtamentum hoc maiore vti moderatione, & abſtinere mentione Arrianorum,& tam grauibus conuicijs & contumelijs,nos ſcilicet quoniã ſpiritus mendacij, homicidij quoq; ſpiritus ſit,aliquando latronũ more fideles perſecuturos & oppreſſuros eſſe.Dei enim beneficio, neq; latrones,neq; mendaces,neque ſpiritu diabolico obſeſsi ſumus:neminẽ per-

sequimur, neminem opprimere cupimus, quam bene autem Christiana æquitas & modestia erga nos seruetur, qui immerito adeo petulanter proscindimur, nemini huiusmodi conuitiorum occasionem dantes, idipsum omnibus fidelibus, ac moderatis, & honestatis ac pacis studiosis hominibus expendendum relinquimus.

Quod autem Testamento hoc additur nõ probari sibi tyrannidem & persecutionem eorũ qui Zuinglij doctrina seductos gladio insectantur, ac se resipiscentibus, Cœlũ non præcludere: non satis idonea medela est amaræ insectationis & odij irreconciliabilis, neque ita reuocari possunt quæ ante excandescente animo satis imprudenter exciderunt: honesto enim & moderato animo præditi, nihilominus facile dijudicare possunt quænam in hac tristissima controuersia Testamenti huius sententia & voluntas existat. Quemadmodum autem, qui Zuinglij doctrinam sequuntur nequaquam seducti sunt, ita etiam, Deo sit laus, neq; à Testamento hoc, neq; à quoquam alio cœlum illis præcludi potest. Iustius erat cœlum illis præcludi, qui à veritate ad mendacia sese conuertunt: pro quibus Deum oro vt clementer omnes ad id quod rectum est conuertat.

Fucatis verbis Augustanæ confessioni sese ingerere.

Porro

PORro autem quod quidam fratrum nobis conſentientium veluti vetuſta generis nobilitate clariſsimus vir D. Ioannes à Laſco Polonus, & celeberrimus Theologus Ioannes Caluinus Gallus, bono animo Auguſtanam confeſsionem interpretari conati ſunt, non alio niſi concordiæ ſtudio ab illis factum eſt. Nam cum omnes profiteamur vnicum Chriſti Euangelium in quo conſentimus, voluerunt etiam in hoc articulo Cœnæ Dominicæ vnam eandemq; confeſsionem efficere, & ſublata omni ſpecie diſsenſionis, charitatem & concordiam apud omnes plantare. Satis autem declararunt hoc ſuo ſtudio humanitatis & beneuolentiæ pleno, ſeſe nullo modo ſpiritu odij & contentionis, atque latrocinij obſeſſos eſſe.

Interea nemihi imponere volumus, & fictam tantum ac ſimulatam concordiam inſtituere, aut nos fucatis verbis Auguſtanæ confeſsioni ingerere conamur. Idipſum enim quod credimus & docemus, ſimpliciter quoq; & abſque omni fuco confitemur, id quod ex noſtris reſponſionibus, Confeſsione noſtra, & præſenti defenſione manifeſtum eſt. Speramus etiam non omnes Auguſtanæ confeſsionis ſocios, æque atq; Teſtamentum hoc exacerbato animo eſſe contra nos noſtramq; doctrinam. Non petimus fictam concordiã.

Quinetiam ſi nunc quoque aliqui ſint, quibus

nobiscum in causa Cœnæ Domini conuenire non possit, in reliquis autem non dissentiant, his nequaquam amicitia sublata inimicitias denuntiabimus: sperantes temporis progressu, per Dei gratiam omnia meliora fore. Dissentiebant olim inter se de Baptismo beati martyres & episcopi Cornelius atque Cyprianus: dissenserunt quoq; D. Hieronymus & Augustinus, non tamen propterea sese alienarunt ab inuicem, aut hostes facti sunt, sed mutuam charitatem inter se conseruarunt. Idipsum nos quoque parati sumus facere omnibus amantibus Euangeliũ Christi, & Christianæ pacis studiosis, hoc ipsum à nobis quoque libenter recipientibus.

CONCLVSIO.

IN conclusione Testamenti apparet quis sit Testamenti animus, quando classicum quodammodo canit, & omnes ad arma vocat: iuuent inquit per Dei gratiam cuncti qui iuuare possunt, & qui prohibere possunt prohibeant, ne Zuinglianorum spiritus vllum locum aut sedem in Ecclesia Christi nanciscatur. Cæterum nos hanc vociferationem non tanti facimus, vt accurata responsione dignam putemus, cum ita manifeste crassus & carnalis affectus sese in hoc prodat, ac ostendat se in propria causa hærere & illi diffidere, quod eam nisi publico concursu & auxilio

tueri

tueri nequeat, ideoq; turbas concitare conatur. Hactenus autem aperte demonstrauimus, doctrinam illam quam Testamentum hoc Zuinglianum spiritum nuncupat, non aliam esse ab ortho doxa veteris ecclesiæ doctrina, quam nos quoq; hodie retinemus: & Deum laudamus quod in plerisq; ecclesijs sana hæc doctrina hodie recepta est. Speramus autē in Deo, fore vt homines prudentes & amantes pacis, causam reipsa & recte expendant, semotis inquietorum hominum hostilibus instigationibus, & prolixa & inuoluta eorum garrulitatē neglecta: ideoq; hanc responsionem æquissimam non spernant, neq; vna cum illa reijciant symbolum Athanasij, Augustinum ad Dardanum, item Chalcedonense concilium, ac reliqua veteris ecclesiæ testimonia ex verbo Dei deprompta: imo potius abiecturos confidimus nouam hanc corporis Christi in gloria Deificationem & vbiquitatem, quam etiam veteres firmis rationibus improbarunt, & sic pacem nobiscum & vna cum omnibus recte sentientibus conseruaturos, ac precamur misericordem & benignum Deum per vnicum Seruatorē Dominum nostrum Iesum Christum, vt hanc gratiam nobis largiatur, cui sit laus & honos & gloria in secula seculorum, Amen.

FINIS.